

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 4: De aliis virtutibus Caput 18: De contemplatione (5)

Gregorius:

Qui celestis vite dulcedinem in quantum possibilitas permittit,
perfecte cognoverit,
omnia que in terris amaverat, cuncta libenter reliquit.
In comparatione eius vilescunt omnia, deserit habita,
dispergit congregata, inardescit in celestibus animus,
nihil in terrenis libet,
deforme quidquid de terrene rei specie placet,
quia sole pretiose margarite claritas fulget in mente.

homini simile dicitur, qui bonas margaritas quaerit,
sed unam pretiosam inuenit,
quam uidelicet inuentam omnia uendens emit,
quia qui caelestis uitae dulcedinem, in quantum possibilitas admittit,
perfecte cognouerit,
ea quae in terris amauerat libenter cuncta derelinquit.
In comparatione eius uilescunt omnia, deserit habita,
congregata dispergit, inardescit in caelestibus animus,
nihil in terrenis libet,
deforme conspicitur quidquid de terrenae rei placebat specie,
quia sola pretiosae margaritae claritas fulget in mente.

Gregorius Magnus, *Homiliae in euangelia*, 1.11.2 (CCSL 141,
R. Étaix ed., p.75, ll.28-36).